

stituunt. Quorum conditio tantò deploratior existit, quòd iram in se divinam accersentes in errore obsfirmantur, dum se falso cultu Deum irritare non intelligunt : & quod deterius est, se Deo gratum cultum præstare in animum suum inducunt.

V E R . 2. *Ne acceleres ore tuo, & animus tuus ne festinet proferre quicquam coram ipso Deo: nam Deus ipse in cœlis est, tu autem superterram: idcircò sunt verba tua pauca:*

Vocis divinæ attentæ auditioni (cui annexa & tanquam sigillum appensa est Sacramentorum debita perceptio) succedit sermonis nostri ad Deum directio : ubi commentatio maiestatis & amplitudinis divinæ cum nostræ abjectissimæ conditionis debita meditatione conjuncta, utramq; hanc cautionem suppeditabit: Quartum prior est, ut neq; ore, nec animo, qui fons est sermonis, quidquam præcipitemus : posterior, ne vana & futili unius ejusdēq; rei iteratione utamur.

V E R . 3. *Quia ut prodit somnium multa occupatione, ita vox stolidi multitudine verborum.*

Ab illa enim sermonis vana futilitate, non magis sejungi possit stultus & insipiens sermo, quam ab eo somnium qui interdiu multis in occupationibus assiduus fuit.

V E R . 4. *Quum nuncupaveris votum Deo, ne differ-*